



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quid appelletur ordo. De nominibus dignitatis & officij. K

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



1. Tim. 3. a

Matth. 27. f

Hebr. 9. c

1. Tim. 3. b.

Act. 6. b

Isid. c. 11. l. 7.

etym.

Ezech. 33. b

cuius vicarius & successor est Pontifex summus. Unde dicitur Apostolicus, qui & Papa vocatur, scilicet pater patrum. Qualis a. eligi debeat presbyter, A. post. scribens Timotheo ostendit, ubi nomine Episcopi presbyterum significat. Hoc a. officio usus est Christus, cum seipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos & hostia: & quando post cenam panem & vinum in corpus suum, & sanguinem commutavit. Ecce de septem ecclesie gradibus breuiter elocuti, quid ad quemquam pertineat insinuauimus. Cumque omnes spirituales sint & sacri, excellenter tamen canones duos tantum sacros ordines appellari censerent. Diaconatus, scilicet, & Presbyteratus: quia hos solos primitiua Ecclesia legitur habuisse, & de his solis preceptum Apostoli habemus. Apostolicum enim in singulis ciuitatibus Episcopos & Presbyteros ordinauerunt. Leuitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus: quorum maximus fuit B. Stephanus. Subdiaconos vero & Acolytos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.

*Quid sit, quod hic dicitur Ordo.*

Si autem quaeritur, Quid sit, quod vocatur Ordo? Sanè dici potest signaculum esse, id est, sacrum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato, & officium. Character ergo spiritualis, ubi fit promotio potestatis, Ordo vel gradus vocatur. Et dicuntur hi Ordines sacramenta: quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia confertur, quam figurant ea, quae ibi geruntur.

*De nominibus dignitatum vel officiorum.*

Sunt & alia quaedam non ordinum, sed dignitatum vel officiorum nomina. Dignitatis simul & officii nomen est Episcopus. Episcopatus a. vocabulum inde dictum est, quod ille qui Episcopus efficitur, superintendat, curam, scilicet, subditorum gerens. *quod* enim Graecè, Latine intendere dicitur. Episcopi a. Graecè, Latine speculatores interpretantur. Nam

specu-